



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. Vtrùm natura supposita per unam subsistentiam possit
suppositari per alienam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

QVÆSTIO IV.

Virum naturam suppositatam per unam Subsistentiam possit suppositari per aliam.

SECTIO I.

Sententia Aduersariorum proponuntur.

P R I M A Sententia est P. Vasquez, asserentis naturam terminatam propria Subsistentia esse simpliciter interminabilem, tam alia propria, quam aliena, siue creata siue increata, terminatam autem una aliena esse amplius terminabilem per aliam alienam, verbi gratia, naturam humanam terminatam Subsistentia aliena Verbi de potentia Dei absoluta esse adhuc terminabilem per alienam etiam Subsistentiam Patris & Spiritus Sancti, hæc docuit P. Vasquez 1. tom. in 3. part. disputat. 29. cap. 2. & disputat. 33. cap. etiam secundo, primam partem sic probat.

1. Primo, natura terminata per unam propriam Subsistentiam, habet in se effectum propriæ Subsistentiæ: non ergo potest, nec diuinitus terminari per aliam Subsistentiam propriam; patet consequentia, quia repugnat eundem effectum à secundi causa adequata produci: sed quælibet propria Subsistentia est adequata causa terminandi naturam, & constituendi illam in esse suppositi: ergo repugnat naturam terminatam propria Subsistentia terminari per aliam propriam, quia iam idem suppositum quod est effectus à secundi Subsistentia constitueretur.

2. Secundo natura terminata propria Subsistentia est per se, terminata vero per alienam, est in alio: sed repugnat eandem naturam simul esse per se, & in alio ob apertam contradictionem: ergo secundam partem suæ Sententiæ persuadet Vasquez ex solutione argumentorum contra ipsam.

3. Secunda Sententia est P. Francisci Suarez, asserentis naturam terminatam propria Subsistentia repugnare in eodem loco terminari per alienam; in diuerso autem loco non repugnare huiusmodi terminationem; hæc docet 1. tom. 3. part. disp. 14. sect. 1. hanc Sententiam sic probat.

1. Primo, quia propria, & creata Subsistentia solum est modus quidam intrinsecus per se existendi, hic autem modus habet formalem repugnantiam cum illo modo vnionis, quem habet natura assumpta in alieno supposito, & hoc eodem modo repugnat, quo eandem virgam esse simul curuam, & rectam, & idem accidens inherere & existere per se sed hoc non potest diuinitus: ergo nec illud.

2. Secundo, quia SS. PP. & Concilia ex terminatione nature humanæ per Verbum colligunt absentiam Subsistentiæ propriæ: sed hæc collectio non esset tam firma si natura terminata propria Subsistentia, adhuc diuinitus posset terminare aliena: ergo Minor sic probatur, quia cum hoc mysterium omnino sit supernaturale, & in eo tota ratio facta sit potentia facientis, si de potentia Dei absoluta fieri potuisset, vt humanitas assumeretur sine priuatione propriæ personalitatis, non esset ratio sufficiens ad negandum, ita factum esse, cum illud non repugnet alicui perfectioni Christi, vel huius vnionis.

Tertio sic probatur, Subsistentia est terminus naturæ: ergo constituit naturam seorsim ab omni alio supposito; de ratione enim termini est, vt res terminata non extendatur ulterius, vel communicetur: ergo natura terminata propria Subsistentia ulterius non poterit per aliam terminari.

SECTIO II.

Nostra Sententia ponitur, & probatur.

P R I M A conclusio, natura terminata propria Subsistentia creata potest simul terminari diuinitus alia, & alia increata vt Patris Filij, & Spiritus Sancti personalitatibus: hæc Sententia licet communis sit inter Neotericos, nihilominus non communibus, sed propriis argumentis sic probatur.

Primo, non implicat contradictionem quod duæ formæ, vel quasi formæ eiusdem denominationis in communi una increata, & imparticipata, & altera, vel aliæ creatæ, & participatæ, una accidentalis, & alia diuina substantialis eminenter contentiuæ illius, sint simul respectu eiusdem exercendo suos effectus, vel quasi effectus formales: sed Subsistentia diuina est quasi forma respectu humanitatis eminenter contentiuæ in suo conceptu adequato Subsistentiæ cuiuscumque creatæ, quæ etiam est quasi forma respectu humanitatis, & est eiusdem denominationis in ratione superiori, & commune Subsistentiæ, & personalitati vt sic, (& in mea Sententia creata supposita talitas habet conuenientiam vniuocam cum personalitate diuina, in qua adequate eminenter continetur secundum totum suum esse conceptu: ergo non implicat quod intrinsece terminent simul & afficiant eandem humanitatem, vt intrinsece constituent proprios effectus formales, duas nimirum personas, seu supposita. Minor est communis Sententia omnium Theologorum, & ita certa, vt nullo modo possit inter Theologos in dubium reuocari, quia Subsistentia diuina, vt ait P. Suarez, ex mente D. Thom. & consensu vniuersali omnium PP. quasi in genere causæ formalis intrinsece constituit humanitatem suppositatam, non enim terminatur seu suppositatur humanitas à Subsistentia Verbi in genere causæ efficientis præcise, tum quia hoc esset in genere causæ extrinsece, tum etiam quia iam non solum Verbum diuinum fuisset incarnatum, sed etiam Pater & Spiritus Sanctus, quia omnis operatio in genere causæ efficientis ad extra debet esse indiuisa à tota Trinitate; sed intrinsece terminando ipsam humanitatem, quasi forma & intime, ac infinite deificando illam, & ita euehendo ad altiore gradum totam illam humanitatem Christi, vt & ipsa Deificata, & infinitata vocetur, illiusque actiones, ac operationes Theandricæ, ac Dei viriles appellantur, vt ex modo loquendi Sanctorum patet, Sophronius enim in illa Epistola, quæ habetur, in 4. synodo, actione 11. & Nazian. orat. 4. 2. vbi dicunt Christum esse perfectum, non modo propter diuinitatem, sed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idemque effectus, quod id à quo vncta est, & vt audacter dicam, quod id à quo vncta est, id est simul Deum, & inquit Naz. homoecon, id est simul Deum, & orat. 5. 1. dicit imaginem Dei, quæ est in homine fuisse deificatam in Christo, quod docet etiam Damas. lib. 3. c. 29. & lib. 2. cap. 19. ob personalem vnionem ait, & caro deificata, ac Deus, facta est, diuinitatisque cum Verbo socia dicitur. Vbi nota

Quaest. IV. An quod addat sit modus, &c. 75

nota cum D. Thom. 3. part. quaest. 16. artic. 5. per illam loquutionem non significari mutationem humanitatis in Deum, seu humanitatem factam esse Deum; hæc enim hæresis antiqua erat; sed solum esse deificatam quasi per formam à substantia Verbi, id est unitam intrinsicè Verbo, ex vi cuius coniunctionis datur communicatio idiomatum inter Deum, & hominem, id est proprietatum, seu attributorum inter Deum, & hominem, mutua cum veritate prædicatio, itavt cum veritate dicatur Deus est homo, homo est Deus, Deus moritur & patitur, homo creat, & glorificat, quod explicans Greg. Nizenus, inquit humanitatem formalitatem esse diuinitatem, penetratque intime ab ipsa ad modum quo anima penetrat corpus, in quo aperte declarat S. Doctor substantiam diuinam terminare naturam humanam per modum cuiusdam infinite formæ sanctificantis ipsam, quod sonat Verbum illud formalitatem à diuinitate. Præterea ipsa substantia diuina ratione diuinitatis transcendentaliter imbibitur in ipsa dicitur substantia creatas eminentiori, & excellentiori modo continere, ipsaque substantia creata dicitur participata à diuina.

9 Maior in qua est tota difficultas sic probatur, quia in Christo Domino per potentiam absolutam de facto datur increata forma, vel quasi forma sanctificans, sanctitas nimirum ipsa per essentiam increata, & imparticipata, quæ eminenter continet omnem sanctitatem, seu gratiam iustificantem creatam, & simul cum ipsa sunt respectu eiusdem humanitatis duæ aliæ gratiæ creatæ sanctificantibus formaliter humanitatem, vna accidentalis, quæ est gratia habitualis, alia substantialis, vno nimirum hypostatice; sed hæc omnes gratiæ, increata videlicet, & duæ aliæ creatæ sunt omnes formæ, vel quasi formæ humanitatis constituentes proprios effectus formales intra genus gratiæ, & sanctificationis simul sine aliquo impedimento vnius respectu alterius, quod impediat similitudinem ipsarum ad sanctificandam, & deificandam humanitatem, & sunt eiusdem denominationis in ratione formæ iustificantis vt sic, omnes enim conueniunt in sanctificando, & iustificando humanitatem, licet vna sit increata, & aliæ creatæ, & ex creatis vna accidentalis, & alia substantialis, & ex eo quod sit forma, & sanctitas increata sanctificans infinitè, & deificans humanitatem, non impedit quominus sit duplex sanctitas creata simul cum illa ad sanctificandam etiam ipsam humanitatem, & iustificandam intrinsicè, imò ad hoc maximo concordie vinculo copulantur, quia nec vno nec gratia substantialis confert perfectissimam illam sanctificationem, nisi terminetur ad increatum Verbum, & illud intime copulet humanitati, includit enim Deificationem quandam pene infinitam, ad quam necessarium Verbum diuinum, nec etiam persona Verbi infinitam sanctificationem confert humanitati, nisi intercedente gratia substantiali vniouis, cum qua hominem per se sanctum & naturalem Dei Filium constituit, ita vt Verbum sit quasi forma sanctificans humanitatem, quia Verbum est sanctitas ipsa per essentiam & per se, ac intime coniungitur ipsi, vnde Verbum ipsum est à quo habet hic homo, vt sit Filius Dei naturalis, item habet ab eodem infinitam dignitatem, ratione cuius habet meritum infinitum, eique debetur summa gratia, charitas, gloria & perfectissima laudis adoratio; item vno substantialis sanctificat formaliter, quia est ratio formalis vniendi sanctitatem incretam humanitati.

I. P. Tom. 11.

Præterea minime impeditur alia gratia creata imperfectior quidem forma sanctificans, gratia nimirum habitualis, quæ constituit illum hominem, minime quidem Filium adoptiuum, quia est filius naturalis, non solum Patris, sed totius Trinitatis; sed sanctum habitualiter accidentaliter, hunc enim, & alios effectus habet gratia habitualis in Christo, nam licet haud fuerit necessaria in anima ipsius ad excludendum peccatum, quod nec fuit, nec potuit esse, sicut est necessaria homini lapso, nec etiam ad primam, seu primariam eius sanctificationem, sicut contigit in Angelis, vel in Adamo in ipso statu innocentie, cum Christus habuerit aliam priorem, & excellentiorem sanctificationem, nihilominus tamen velle ac necessaria fuit ad debitam illius animæ pulchritudinem, ac dispositionem ad connaturalem modum operandi, atque adeo ad perfectam omnibus modis participationem diuinitatis, consummatam iustificationem, & ad æquatam vndeque puritatem, ad hos enim effectus, tam necessaria fuit hæc gratia in anima sanctissima Christi, sicut in reliquorum hominum animabus, vt egregie docuit D. Thom. 3. part. quaest. 7. & ideo animam illam sanctissimam Saluatoris mirabiliter exornauit Deus hac pulcherrima gratiæ sanctificantis venustate, vt ait Propheta Rex. *Vniuit Deus, Deus unus oleo lictis præ consortibus suis, & Actor. 10. dicitur, vniuit illum Deus Spiritui Sancto, & virtute;* hac de causa dixit Athanasius, 2. contra Arrian. ipse est, qui dat, & accipit Spiritum Sanctum, dat vt Verbum, accipit vt homo, ex eo quod ipse vt homo eam gratiam Spiritus accepit, factum est vt nos illam ex plenitudine dimanantem acceperimus, ecce quomodo in humanitate Christi simul existunt gratia sanctificans substantialis creata, vno scilicet hypostatice, gratia habitualis accidentalis, & gratia infinita, & increata diuinitatis in Verbo terminando naturam humanam eminentiori quidem, ac excellentiori modo continens vtriusque perfectionem gratiæ creatæ, & tamen omnes sunt formæ, vel quasi formæ eiusdem denominationis vt sic, sanctificandi nimirum ipsam humanitatem; ergo non implicat contradictionem, quo duæ formæ, vel quasi formæ eiusdem denominationis in communi, &c. Ex quo euidenter sequitur nullam implicare contradictionem, quod duæ substantiæ vna creata, & altera in creata eminenter contentiuæ creatæ, quæ sunt formæ, vel quasi formæ, afficiant, & terminent simul eandem humanitatem.

Secundo sic probatur, quia substantia increata, & creata non habent contradictoriam oppositionem inter se, imò nec contrariam, nec relativam: ergo possunt simul esse, afficere, ac terminare eandem naturam: hæc consequentia supposito antecedenti est euidentis, quia Deus solum non potest vincere oppositionem contradictoriam, ponendo simul vtrumque extremum contradictorium in eodem subiecto, ac proinde definitur omnipotentia Dei, dum dicitur est potentia, quæ potest facere quicquid non implicat contradictionem: vnde, quia ponere duo extrema conuenientia vniuocæ possunt simul, respectu eiusdem, quæ successiue possunt esse respectu illius, non in voluit contradictionem, licet naturaliter, repugnet, potest diuinitus executioni mandare, & ideo potest Deus ponere in eodem subiecto simul summum calorem cum summa frigiditate, summam albedinem cum summa nigredine, licet habeant oppositionem contrariam, quia illa oppositio

K 2 non

non est contradictoria inter illas: item Deus potest facere quod duo corpora simul sint in eodem loco, licet naturaliter non possent simul existere in eo, & quia nulla est contradictio, potest Deus absoluta potentia facere quod tres subsistentiae diuinae terminent simul eandem naturam, ac denique potest Deus facere quod gratia habitualis, & peccatum ut tale habituale sint simul in eadem anima, licet magnam habeant repugnantiam, & duae praesentiae diuersorum locorum possunt simul poni in eodem corpore solum, quia non opponuntur contradictorie; sed duae subsistentiae, vna creata, & altera increata, vna propria & altera aliena, non habent contradictoriam oppositionem: ergo per potentiam Dei absolutam possunt terminare eandem naturam simul; antecedens sic euidenter conuincitur, quia tunc datur oppositio contradictoria inter aliqua extrema, quando datur maxima, & immediata repugnantia inter illa, & tunc datur maxima, & immediata repugnantia, quando talia extrema sunt eius rationis ut nulla detur conuenientia, nec analogia, nec vniuoca in ratione essentiali communi utrique, & ideo infallibiliter ex contradictoriis extremis, vnum debet esse negatiuum, & alterum positium, quapropter definitur contradictio, dicendo esse affirmationem, & negationem eiusdem de eodem, id est necessario debere versari inter affirmationem, & negationem, & inter extrema, quorum vnum necessario sit positium, alterum negatiuum immediate illius positui, quia definitio contradictoriarum regulatur illo principio Metaphysicae: impossibile est idem simul esse, & non esse; vel illo: quodlibet vel est, vel non est, quod latissime probauimus in Logica, tract. de principiis, & ratio euidentis a priori est, quia solum inter extrema dicta datur summa, maxima, & immediata repugnantia, quia ibi datur summa repugnantia, inter quae nulla datur conuenientia, sed intra extrema, quorum vnum est negatiuum, & alterum positium nulla datur conuenientia, ens enim & non ens minime conueniunt; & e contra, si ambo extrema essent positia, conuenirent in ratione positia ut sic essentialiter, & si essent negatiua ambo conuenirent in ratione negationis ut sic essentialiter: ergo solum illa extrema, quorum alterum est positium, & vnum negatiuum, nullam habent conuenientiam, atque adeo habebunt maximam repugnantiam.

Deinde inter ea etiam datur immediata repugnantia, quia negatiuum contradictorium non remouet seu negat alterum positium contradictorium, mediante alio, seu per aliud medium, sed per seipsum essentialiter, quia non homo ex vi suae formalitatis negat hominem: ergo solum inter ea extrema quorum vnum est positium, & alterum negatiuum, dabitur repugnantia immediata, & maxima; ac proinde dabitur oppositio contradictoria: sed subsistentia diuina est essentialiter positia entitas, & subsistentia creata est adaequate, & essentialiter positia, ita ut diuina in quantum subsistentia, & in quantum diuina est realiter, & essentialiter sit positia, & subsistentia creata in quantum subsistentia, & in quantum creata sit realiter, & essentialiter positia, positium enim transcendit ultimas differentias illarum, quod supra probauimus contra Scotum, asserentem supposititalitatem esse negationem. Vnde absolute, & simpliciter subsistentia creata, & increata conueniunt intrinsece, & essentialiter in ratione subsisten-

tiae positiae ut sic, quae conuenientia siue sit vniuoca, ut in mea sententia, siue analogia ut in sententia Adversariorum maxima vocatur, ex eo quod essentialis sit, id est ex eo quod sit conuenientia per praedicata essentialia utriusque, & in ratione communi essentialiter participabili tam a diuina, quam a creata subsistentia; item maxima vocatur per comparationem ad entitatum, & accidentalem conuenientiam: ergo cum ex vno capite, tales subsistentiae sint ambae positiae, ita ut in rationibus formalibus earum nihil includatur negationis, ratione cuius habeant maximam conuenientiam essentialem in ratione positiae personae ut sic, quae in sententia omnium inter contradictoria, nunquam reperitur, & ex alio capite supposititalitas diuina eminenter contineat supposititalitatem creatam, quod etiam minime potest conuenire vni contradictorio respectu alterius, ut v.g. homini respectu non hominis, & non Dei, respectu Dei necessario, & euidenter sequetur inter subsistentiam diuinam, & creatam, non dari oppositionem contradictoriam, ac proinde posse diuinitus reperiri simul terminando, & asserendo eandem naturam, quia Deus solum duo extrema contradictorie opposita non potest coniungere in eodem subiecto, vel quasi subiecto, quapropter non potest Deus facere, quod eadem natura simul habeat subsistentiam propriam, & negationem eiusdem propriae subsistentiae, quod terminetur, & non terminetur diuina subsistentia, quod eadem anima habeat intellectum & carentiam illius, quia illa extrema cum sint eius conditionis, ut vnum sit positium, & alterum negatiuum, necessario dicunt contradictoriam oppositionem.

Dices quod licet diuina subsistentia non sit contradictio subsistentiae creatae immediate, esse tamen mediate, quia subsistentia creata dicit negationem subsistentiae increatae, ac proinde non posse poni simul in eodem subiecto, vel quasi subiecto; quod autem mediate dicant contradictionem patet, quia ad vnamquamque illarum sequitur negatio identitatis cum altera, & sic est verum dicere subsistentia creata non est increata, & e contra.

Sed contra hanc sic meo videri euidenter insurgo, quia ad hoc ut non possit Deus ponere duas formas, vel quasi formas simul respectu eiusdem subiecti, non sufficit huiusmodi mediate contradictio inter ipsas, sed necessaria est ut intercedat immediata inter eas in ordine ad subiectum, nam calor dicit negationem mediatam frigiditatis in summo, & formae irrationali formae rationalis, & forma cadaueris formae viventis, & peccatum habituale respectu gratiae habitualis, quia vere & realiter summus calor non est frigiditas summa, sed forma rationalis nec est, nec potest esse forma irrationalis, & bruta; & nihilominus ex eo quod non sint termini immediate se inuicem contradicentes, hoc est ex eo quod vnus terminus non sit negatio immediata alterius, cum sint formae positiae, possunt simul esse per potentiam Dei absolutam in eodem subiecto: ergo licet subsistentia diuina & creata, dicant inter se mediatam illam ab aduersariis assignatam contradictionem cum non dicant immediatam, poterunt esse simul respectu eiusdem naturae diuinitus; nam quid magis repugnans mediate, quam praesentia diuisibilis, & praesentia indiuisibilis, illa propria, quia est connaturalis Corpori Christi, sicut subsistentia propria cuiusque hominis, ista aliena, quia est supernaturalis illi, & quia est

quasi opposita indigentiae Corpori, & nihilominus sunt simul in eodem Corpore Christi secundum fidem nostram, & possunt esse simul in diuersis locis, sed et a in eodem loco, quia verbi gratia, si Corpus Christi consecraretur in tanta materia panis, vt aequaret magnitudinem ipsius Corporis Christi, in sua extensione naturali, post talem enim consecrationem poterit idem Christus suae per adductionem specierum sacramentalium ad caelum, siue per descensionem ipsius ad terram, vbi esset consecrata talis hostia penetrari cum illis accidentibus sacramentalibus in eodem loco, in quo casu Corpus Christi sacramentaliter esset sub speciebus panis, & in eodem loco Corpus Christi, cum praesentia circumscriptionis esset simul per supradictam penetrationem; unde idem Corpus in eodem loco afficeretur duplici praesentia, vna diuinitati, & altera indiuisibili, licet magnam habeant naturalem repugnantiam tales praesentiae, & licet vna diceret negationem alterius, quae induceret contradictionem mediatam assignatam ab aduersariis, qua non obstante ex eo quod ambae positivae essent, possent poni simul in eodem Corpore: ergo similiter duae positivae substantiae, ex eo quod positivae sunt, poterunt afficere simul eandem naturam diuinitus.

13 Deinde, quia inter illas positivas rationes, quae successiue possunt afficere idem subiectum, licet detur mediata oppositio contradictoria, quia tamen talis oppositio mediata non est in ordine ad similitudinem, & existentiam simul respectu eiusdem subiecti, sed respectu identitatis inter se bene possunt diuinitus collocari in eodem subiecto simul, licet non possint identificari diuinitus adhuc inter se, quia expulso, quae est effectus contradictionis, debet esse in ordine ad id, ad quod est contradictio, & non in ordine ad quod minime est, vt patet ex exemplis supra positis; nam quia albedo dicit mediatam contradictionem respectu nigredinis, ne identificentur, nunquam poterunt identificari adhuc diuinitus, & ideo nunquam albedo poterit esse nigredo, quia vero albedo non dicit mediatam contradictionem essentialem cum nigredine respectu similitudinis in eodem subiecto, bene potest simul cum nigredine poni in eodem subiecto, & ratio evidens est, quia in ordine ad idem subiectum, sola immediata contradictio est quae non potest vinci a Deo, vt est illa quae reperitur inter negationem, & positivam formam; unde si immediata contradictio non datur inter duas rationes formales, alia non potest dari quae impediatur, quo minus per potentiam Dei absolutam possint esse simul in eodem subiecto; sed substantia diuina non dicit contradictionem immediatam cum substantia creata, licet dicat mediatam, quae ab aduersariis assignatur in ordine ad identitatem: ergo licet Deus non possit facere sua potentia absoluta, vt substantia diuina sit substantia creata, & quod identificentur inter se, nihilominus bene poterit facere, quia duae formae ex quibus vna supplet vicem alterius, & continet eminenter aliam, & successiue terminant eandem naturam, bene poterunt simul per potentiam Dei absolutam terminare, & afficere eandem naturam.

14 Dices, licet substantia creata non sit contradictio substantiae increatae, nihilominus ex simultanea terminatione illarum respectu eiusdem naturae sequi eundem contradictionem, ac proinde adhuc diuinitus non posse terminare illam.

Contra, quia ex duabus formis, vel quasi formis non sequitur nisi secundus effectus, vel quasi effectus formalis; omne enim quod sequitur ad aliquam formam, est effectus formalis illius, sicut omne quod sequitur ad causam vt sic est effectus vt sic, sed omnis effectus causae formalis, vel quasi causae formalis, est dumtaxat duplex effectus, nimirum primarius, vel secundarius: ergo omne quod sequitur ad causam formalem, est duplex effectus formalis, vel quasi formalis: sed ex duobus illis effectibus primarij effectus duarum formarum, vel quasi formarum positiviarum, non dicunt inter se oppositionem contradictoriam, & sic bene possunt reperiri in eodem subiecto, nam eo modo sunt effectus primarij quo sunt formae; sed formae illae sunt positivae adaequatae: ergo effectus primarij illarum sunt positivae adaequatae, verbi gratia, quia albedo, & nigredo sunt formae positivae, etiam album, & nigrum sunt termini & effectus positivae; sed duo termini, seu extrema positivae, quia ambo positivae sunt, non possunt opponi contradictorie: ergo effectus primarij, positivae duarum formarum positiviarum, non poterunt opponi contradictorie, quia vt supra dixi, ex terminis contradictoriis nec ambo possunt esse positivae simul, nec ambo negativi, sed necessario vnus debet esse positivus, & alter negativus, sed duae substantiae, creatae nimirum & increatae sunt duae rationes formales positivae adaequatae: ergo constituta primaria, vel quasi effectus primarij illarum necessaria debent esse positivae, persona nimirum creata, & increata: ergo non haberent oppositionem contradictoriam propter rationem dictam.

Effectus autem secundarius contradictorius est 16 respectu alterius formae, verbi gratia, effectus primarij albedinis est album, effectus autem secundarius est negatio nigredinis in subiecto vbi est albedo, & sic nullo modo potest esse effectus secundarius formae positivae vnus cum altera forma positivae, hic autem secundarius effectus non essentialiter & necessario sequitur ad formam, sed solum secundum leges naturae, & ideo per potentiam Dei absolutam potest Deus facere, ne talis effectus secundarius sequatur in natura ipsa, fundatur secundum commune ac ritum axiomae, quo communiter dicitur, Deum posse supplere effectum secundarium formarum, id est potest tanquam vniuersalis dominus ob plenum dominium quod habet supra leges naturales dispensare in illis & facere, ne sequatur talis effectus secundarius: exemplo manifestissimo sic probatur; Deus potest facere, vt existente calore summo in aliquo corpore ne sequatur effectus secundarius talis caloris, qui est negatio, seu contradictio frigiditatis, ac proinde existente adhuc calore in summo potest Deus introducere frigiditatem in summo, & conservare simul illas qualitates contrarias in eodem subiecto, & ratio huius dispensationis est a priori, quia calor in summo, & effectus secundarius ipsius, scilicet negatio frigiditatis, sunt rationes a parte rei distinctae: sed omne quod distinguitur ab alio, etiam si maximam habeat connectionem naturalem cum illo, potest per potentiam Dei absolutam separari ab eo, vt patet ex dictis supra de signis separationis: ergo talis effectus secundarius formae positivae, potest diuinitus separari ab ipsa forma, ita vt existat forma sine tali effectus secundario, nec mirum quod diuinitus hoc possit fieri, cum naturaliter etiam contingat vt detur negatio sine forma, cuius effectus esset secundarius; nam in vno subiecto, quod

quod tepidum est, datur carentia frigiditatis in summo, quæ existente calore summo existeret, tanquam effectus secundarius illius, in quo casu evidenter sequitur separari inter se negationem & formam, cuius effectus secundarius est talis negatio, ac proinde necessario dicendum est talem negationem distinguere à forma, cuius effectus secundarius est: ergo Deus potest separe causam illam formalem ab illo effectu formali, ita ut existens calore in summo non detur negatio frigiditatis in summo, & sic poterit Deus introducere simul cum calore summo frigiditatem in summo, quia contradictio seu negatio quæ impediebat talem introductionem per potentiam Dei absolutam, impeditur ne sequatur: eodem modo philosophandum est in secunda subsistentia, & concedendum posse à Deo suspendi effectus secundarios illarum, scilicet negationes ipsarum ad invicem, cum tales negationes distinguantur à parte rei ab illis subsistentiis, & solum sequantur ad illas lege naturali, in qua potest Deus dispensare ob plenum, ac supremum dominium, quo gaudet supra illam: ergo sine ulla tergiversatione concedendum est diuinitus nullam se qui contradictionem ad simultaneam duarum subsistentiarum terminationem respectu eiusdem naturæ, quia ut iam supra dixi, omne quod sequitur ad aliquas formas, est effectus primarius, & secundarius, sed primarius ut supra probavi non est contradictio, & secundarius quicumque ille sit, licet in se sit contradictio, potest impediri à Deo, & per potentiam suam absolutam non sequi, & sic fatendum erit omnino bene posse diuinitus duplicem subsistentiam, creatam scilicet, & increatam simul terminare eandem naturam, ut vis huius argumenti cogit, quod adeo uniuersale est ut funditus labefactum quancumque solutionem aduerbiorum, & quodcumque inconueniens excoGITatum ab illis contra nostram sententiam; nam omne inconueniens, ut aliquomodo urgeat nos, debet esse contradictio, cum pro omnipotentia Dei pugnemus: atqui talis contradictio, ut impediat terminationem duarum subsistentiarum simul debet sequi ex tali terminatione simultanea, quia si non sequitur erit disparata respectu illius simultaneæ terminationis, ac per consequens nihil impedit illam, si autem sequatur, necessario debet esse aut effectus primarius aut secundarius, non ut effectus primarius, quia effectus primarius duarum subsistentiarum, cum non sint positiui non habent contradictionem inter se, si si quatur tanquam effectus secundarius non sequitur necessario, sed potest à Deo suspendi, ut nuper probauimus: ergo nullum inconueniens contradictionis necessario sequitur impediens per potentiam Dei absolutam simultaneam terminationem duarum subsistentiarum creatæ videlicet, & increatæ respectu eiusdem naturæ.

17 Ultimo vagetur hæc ratio, quia tantum abest ut sint termini contradicentes duas supposititates respectu eiusdem naturæ, ut potius nullam oppositionem habeant inter se non relationem, quia Deus non dicit relationem ad creaturam, & si creatura dicat relationem ad Deum est relatio conuenientie, vel effectus ad causam, ut sanctitas creatæ dicit relationem ad sanctitatem increatam, quæ relatio non obest ad hoc ut simul sint in eodem subiecto Christi duæ illæ sanctitates ut supra vidimus nec habent contrariam oppositionem quia vñ contrarium non continet eminenter alterum, nec potest supplere vicem illius: atqui subsistentia diuina continet

eminenter creatam, & potest supplere vicem illius: ergo nullam habent oppositionem: ergo ratio quare non sunt simul, est eadem quare non simul duæ formæ vel accidentales, vel substantiales in eodem subiecto, ne videlicet detur aliquod superfluum, vel alia huiusmodi fundata, in lege naturali; lex autem omnis naturalis dispensari potest à Deo; ex alio autem capite non daretur superfluum, tum quia maxima Dei perfectio est, ut communicabilis sit creaturæ secundum illam maximam similitudinem, quam habet in esse Trinitatis in hoc quod sicut ibi dantur in vna personalitate tres personalitates, ita similiter in vna essentia humana, nam esset personalitas propria, & possent esse aliæ duæ, videlicet Filij & Spiritus Sancti, quæ facerent tria supposita, idest admirabilem Trinitatem personarum, in vnitatem numericam naturæ quæ est maxima vnitatem: tum etiam quia ubi datur finis aliquis, superfluitas impeditur, sed in tali simultanea terminatione personalitatum daretur summus, ac perfectissimus finis, ostensio nimirum diuinæ sapientiæ, & omnipotentie, quibus scit, & potest diuina illa maiestas superare inconuenientia quæcumque & repugnantias naturæ viribus insuperabiles.

18 Tertio sic probatur principaliter, quia in probabiliore sententia, ut est P. Suarez, datur in diuina natura vna subsistentia absoluta & essentialis, cum aliis personalibus, & entis relatiuis, ita ut absoluta eminenter contineat relatiuas; sed quia tales subsistentie aliquomodo sunt diuersi ordinis, scilicet absoluti, & relatiui, non obstantem continentia eminenti relatiuarum in absoluta, non se impediunt, nec confunduntur in eadem natura; sed potius perfectissime constituunt illam sine aliqua oppositione: ergo similiter licet in natura humana, vel Angelica detur subsistentia propria creatæ, non implicabit contradictionem dari subsistentiam increatam eminenter contentiam creatæ simul respectu eiusdem naturæ humanæ, vel Angelicæ, cum sint diuersi ordinis infiniti, videlicet & finiti per potentiam Dei absolutam, sine oppositione, sine impedimento; ac tandem sine confusione aliqua, sed potius cum summa ac perfectissima excellentia, pulchritudine ac venustate naturæ humanæ, & cum mirabili diuinæ sapientiæ omnipotentie bonitatis ostensione.

19 Quarto sic probatur principaliter, quia nullum est inconueniens quod ab Adversariis ponitur impediens talem simultaneam terminationem duarum subsistentiarum, respectu eiusdem naturæ; inconueniens enim hoc est, videlicet naturam non posse esse per se, & in alio, quod sequeretur ex tali terminatione; hoc autem inconueniens nullum est, quia dupliciter potest sumi illud esse in alio. Primo pro eo quod est esse per inheretiam in subiecto, & hoc est proprie esse in alio, cum sit inniti, & substantiari ab alio subiecto inheretionis, & hoc modo in casu nostro minime esset illa natura in alio, sed potius esset per se perfectissime, dupliciter id est existere, & subsistere propria, & increata subsistentia; subsistere enim per subsistentiam, licet sit increata illa, & supernaturalis, non tollit quin sit subsistere, & quod sit ens per se, & existat per se: ergo similiter existere persistereque, per duplicem subsistentiam non tollit quin sit existere, & subsistere per se, sicut v.g. quia quod afficitur vna albedine, est album, & segregatum visus afficitur

Quaest. IV. Vtrum Nat. suppositum vnica sub. &c. 79

secundi albedine non tollit esse album, & disgregatum visus.

Efficacius exemplum; in Christo Domino affici sanctitate habituali, est esse sanctum, & iustum, & nihilominus ex eo quod Christus iterum sanctificetur sanctitate increata Verbi, non definit esse sanctum per gratiam habitalem, imo potius per vtramque sanctitatem perfectissimam sanctus redditur, sine eo quod vna destruat aliam vt supra probauimus; ergo pari modo si per substantiam propriam, quia substantia ex natura humana constituitur ens per se, ac per consequens subsistens per aduentum substantiae increatae non tollitur à natura ratio entis per se subsistentis, sed potius perfectissime supernaturaliter dupliciter erit ens per se; tum per propriam, tum per increatam substantiam, alio modo est esse in alio, id est suppositari per supposititatem alterius, & hoc modo existere in alio minime opponitur modo existendi per se, imo vt clarius dicam, potius est existere per se perfectissime, & supernaturaliter, & increata substantia, quam existere in alio, itaque existere per propriam substantiam, & increatam non est existere per se, & in alio proprie, sed potius est subsistere, & existere per se bis, ac bifariam; perfecto scilicet, & perfectiori modo, quid autem inconueniens reperitur in his modis subsistendi per se naturaliter, & supernaturaliter per potentiam Dei absolutam non inuenio, & cum clare videam infinitatem omnipotentiae hoc sibi suo iure petentis huic potius tribuo quod suum est, dum ipsius partes ago sine damno alterius cuiuscumque, quia si ius pronuntiat meliorem esse conditionem possidentis, quid dicendum erit in rebus euidentibus, quando in dubiis fauet possidenti hoc pronuntiatum.

20 Vrgetur cum Patre Hurtado, quia humanitas in proprio supposito, non existit per se magis quam in alieno: ergo esse in proprio, & alieno non habent oppositionem, quam curritas cum rectitudine, generatio cum creatione, vt ait Suarez. Probat autem antecedens, esse per se vel est naturam esse independentem per suum conceptum, vel dicit vnionem substantialem excludentem esse per accidens, vel dicit esse per suppositum sibi conaturale cui innitur, & à quo fulciatur: sed id habet per vnionem ad Verbum: ergo. Probat maior, quia si humanitas per suum conceptum est independentis, item in Verbo erit independentis, cum ibidem retineat proprium conceptum, quia conceptui humanitatis nullam maiorem dependentiam addit Verbum quam suppositum creatum, quia eius vices supplet, & quia humanitas iisdem actionibus creatur in Verbo, quibus in supposito connaturali, sed humanitas terminata proprio supposito est independentis se ipsa, & per se: ergo & terminata Verbo, vel cum proprio supposito, non est per se independentis; item illa vnio est substantialis, & per se, & excludit vnionem per accidens: praeterea si humanitas est per se, quia habet proprium suppositum cui innitur, ita habet Verbum cui innitur: ergo humanitas eodem modo est in alieno supposito, quo in proprio.

21 Confirmatur, suppositum Verbi supplet vices suppositi creati: ergo quicquid praestabat creatum, praestat & Verbum: sed creatum praestabat naturam per se in tua sententia: ergo idem praestat Verbum; nam à substantia Verbi dicitur subsistens, subsistens autem est esse per se: ergo humanitas in Verbo est per se: ergo eo modo,

quo in suo supposito: respondet Suarez, quod suppositum naturale est modus constituens naturam per se, & independentem: ergo illi affert actualem negationem ad aliud suppositum; vnde licet illi modi sint positiui, tamen vnus essentialiter petit negationem alterius.

Sed contra, quia nos non negamus ad substantiam creatam sequi negationem alterius substantiae siue creatae, siue increatae, vt ex supra dictis patet, negamus tamen quancumque negationem sequitam ad substantiam propriam esse essentialem illi, duplex enim negatio petitur à substantia propria; alia est qua distinguitur substantia propria ab increata formaliter in sententia Patris Suarez, & haec negatio dicitur negatio essentialis respectu substantiae propriae, quia est qua formaliter distinguitur essentialiter, à substantia increata, & qua negatur substantiam creatam posse identificari cum diuina, & quia immediate fundatur in essentia substantiae propriae, & exigitur in illa ex vi praedicatorum essentialium, ita vt in vltimis differentis ipsorum praedicatorum intime imbibatur, eaque intrinsece transcendat, ratione cuius ab aliquo us, licet non certe, probabiliter tamen solet dici identificari cum ipsa essentia rei, communis autem sententia DD. licet non concedat identificari vocat vt re optimo essentialem negationem propter rationes supra dictas, quae negatio, quia proprie negatio est, non potest tolli ab essentia, & entitate in qua fundatur per introductionem contradictorii, quia subiectum illius negationis non est capax contradictorii talis negationis. Vnde si tenenda est talis negatio, debet esse destruendo si indumentum illius, quare conseruato illo adhuc de potentia Dei absoluta, non potest tolli talis negatio, quod adeo verum est, vt à nullo etiam amente, aliquando fuerit in dubium reuocatum, quis enim poterit dicere potentiam Dei ab solutam posse fieri, vt substantia propria creata non distinguatur à substantia increata, & quod identificetur cum illa, ac per consequens adnitatur contradictorium talis distinctionis, scilicet identitatem cum Deo, alia autem negatio datur in substantia propria, quae non fundatur immediate in ipsa substantia propria, ex se, & propter se solam, & in ordine ad se solam: sed tamen in ordine ad naturam, tum etiam in ordine ad alteram substantiam, ne sit simul cum illa in eadem natura, hoc est, est negatio negans non identitatem cum substantia propria, sed potius consortium alterius interminando naturam, & haec negatio non est essentialis sed naturalis, & non est proprie negatio sed priuatio, quod non sit essentialis sic probatur.

Primo, quia ex vi definitionis substantiae propriae non datur aliquod praedicatum quod exigit in ipsa substantia negationem consortij alterius, quia neque tale praedicatum existens in substantia propria est commune omnibus substantiis, tam creatis quam increatis, neque est proprium substantiae propriae: ergo nullum praedicatum est in substantia propria, ratione cuius petatur talis negatio, ac proinde debeat denominari illa essentialis: antecedens sic probatur, quia si talis negatio sequeretur ad praedicatum commune omnibus substantiis tam creatis, quam increatis, quaecumque substantia siue creata, siue increata haberet negationem consortij cum altera, quia quicquid conuenit superiori, conuenit omni contento sub illo: atqui substantia increata, verbi gratia, Patris aeterni, non exigit negationem simultatis

simulatis cum altera, sed potius petit consortium duarum, scilicet Patris, & Spiritus Sancti, & Filij: ergo signum euidens est negationem consortij alterius subsistentiæ peti à ratione communi subsistentiæ ut sic: item nec à prædicato proprio subsistentiæ propriæ, quia subsistentia propria in quantum propria, solum petit, ut dimanet à natura cuius subsistentia est, & quod non continetur alteri; hæ enim sunt rationes constituentes subsistentiam propriam in esse propriæ, quod sic probatur, quia etiam si haberet consortium cum altera, non desineret dimanare à principiis intrinsecis naturæ, nec desineret non convenire alteris naturis, ac proinde non desineret esse propria, verbi gratia, quia ut probabitur, eadem natura potest affici duplici subsistentia propria, in quo casu similitas duarum subsistentiarum non destrueret esse proprium vniuscuiusque, nec faceret quod vnaquæque non esset propria naturæ, sicut verbi gratia, si per potentiam Dei absolutam idem homo afficeretur duplici risibilitate, talis similitas non faceret, ut vnaquæque risibilitas desineret esse propria passio hominis, siquidem vnaquæque adhuc in consortio alterius conveniret soli, & non multis, ac conversim prædicatur de homine: ergo similiter ex eo quod vna subsistentia propria sit cum alia, non impedit quo minus sit propria naturæ.

24 Dices consortium alterius propriæ non tollere, quod vnaquæque subsistentia sit propria naturæ; consortium autem alterius alienæ tollere, ac impedire proprietatem illius, ac per consequens negationem consortij alterius, non esse respectu propriæ, sed alienæ.

25 Sed contra, quia negatio consortij alterius non solum est respectu alienæ, sed etiam respectu alterius propriæ: & ideo tantum repugnat naturæ & negat dari duplicem subsistentiam propriam in vna natura, ac vnam propriam, & aliam alienam, & sic tam miraculosum esse affici duplici subsistentia propria, ac propria & aliena, quæ repugnantia est ex vi negationis, sequitur ad subsistentiam propriam: ergo falso dicitur negationem sequi tantam ad subsistentiam non esse respectu consortij alterius propriæ: sed solum alienæ. Deinde quia si per potentiam Dei absolutam idem homo afficeretur propria risibilitate, & inhiabilitate equi, nullo modo desineret esse propria passio risibilitatis ex consortio alienæ passionis, scilicet inhiabilitatis, & sic etiam divinitus afficeretur idem intellectus scientia scilicet acquisita propriis actibus, & simul lumine gloriæ, & scientia infusa non desineret in eo casu scientia propriis actibus acquisita, esse propria hominis ex consortio supernaturalium qualitatum, quæ ex eo quod de foris veniunt, alienæ possunt vocari: ergo similiter, subsistentia propria afficiens naturam, nullo modo desinet esse propria solum propter consortium alienæ: ergo ex vi subsistentiæ propriæ non sequitur negatio consortij alterius: ergo talis negatio non est essentialis.

26 Secundo probatur hoc ipsum, quia negatio essentialis debet esse non in ordine ad aliquod, quod non pertinet ad essentiam illius, destruendo illam, vel alio modo: sed illa negatio de qua loquimur est in ordine ad consortium alterius, vel in ordine ad similitatem illius, quæ non destruit subsistentiam propriam, ut probavimus: ergo non est essentialis.

27 Tercio, quia in omni forma positiva datur huiusmodi negatio consortij alterius cum ipsa, verbi gratia, in vna quantitate respectu alterius

eiusdem speciei cum ipsa respectu eiusdem subiecti; item in vna qualitate respectu alterius in vna actione, in vna dicatione, in vna præsentia, & in vna forma substantiali respectu eiusdem materiæ, quia vnaquæque ex his formis, seu entitatibus positivis petit negationem consortij alterius, ne sint simul in eodem subiecto & nihilominus in omnibus his non est essentialis illa negatio, nec est proprie negatio, sed privatio: ergo similiter negatio quæ sequitur ad subsistentiam propriam respectu consortij alterius, non erit essentialis illi sed tantum naturalis, quia non est maior ratio in hac negatione proprie subsistentiæ, ut sit essentialis, quam in ceterarum formarum positiviarum negationibus, quod autem in omnibus illis formis negationes non sint essentielles, patet, quia potest Deus per potentiam absolutam ponendo duas formas simul, quæ dicunt talem negationem inter se, ac conservando entitates ipsarum, destruere tales negationes: ergo tales negationes, non sunt essentielles, quia negatio essentialis non potest destrui, nisi destructa entitate in qua fundatur illa; ex quo etiam colligitur quia talis negatio non sit proprie negatio sed privatio, quia illa est privatio, & non negatio quæ destruitur per introductionem sui contradictorij, sed negatio consortij in vna forma destruitur per introductionem similitatis & consortij, quod est contradictorium talis negationis: ergo talis negatio non est proprie negatio sed privatio. Deinde, quia quando privatio destruitur per introductionem contradictorij, signum euidens est subiectum talis negationis esse aptum, & capax recipiendi contradictorium illius, nam bene valet ab actu ad potentiam recipi: ergo potest recipere: ergo tali negationi competit definitio privationis, quia est carentia in subiecto apto nato habere oppositam formam, quod aliter evenit in propria negatione, cum sit carentia in subiecto inepto: ergo talis negatio similitatis in omnibus formis positivis non est propria negatio sed privatio: sed subsistentia propria est forma, vel quasi forma positiva: ergo carentia consortij alterius, quæ sequitur ad ipsam, non est essentialis negatio, sed potius propria privatio: sed propria privatio tollitur per introductionem contradictorij illius: ergo illa carentia, quæ est in subsistentia propria potest tolli per consortium, & similitatem alterius, in terminando eandem naturam saltem divinitus: ergo saltem per potentiam Dei absolutam possunt dari duæ subsistentiæ, de quibus loquimur superius, seu terminare eandem naturam.

28 Ultimo sic probatur principaliter, quia natura terminata propria subsistentia, terminari potest per aliam propriam, item terminata per alienam increatam, per plures etiam alienas simul potest terminari: ergo & natura terminata propria subsistentia, poterit terminari per alienam increatam.

29 Dices naturam per propriam subsistentiam terminari extensivæ, & intensivæ, per alienam vero solum intensivæ.

30 Sed responsio hæc est manifesta petitio principij, ut ex adversariis advertit Suarez, §. 2. Ergo ratio videtur ergo illi per Verba intensivæ & extensivæ intendisse solum subsistentiam propriam esse adæquatam perfectionem naturæ impossibilem cum altera subsistentia, quod est eorum assertum, & contra illud nos modo pugnamus, ac hæc repugnat quamlibet propriam subsistentiam esse adæquatam naturæ secundum extensionem, & extensionem.

Quæst. IV. Vtrum Nat. supp. vnica sub. &c. 81

cundum inrentionem, quia adequatus actus tam secundum intentionem, quam extensionem aliquis virtutis est solum ille, qui simpliciter euacuat omnem indifferentiam illius, ita vt repugnet in illa inclinatio aliqua absoluta, vel sub conditione ad aliud, ideo enim quælibet forma non est actus adequatus materiæ secundum extensionem, & intentionem, quia quauis materia actuata vna forma præsertim nobiliori non appetat alteram absolute, appetit tamen illam sub conditione si ab illa priuatur, sed similiter natura actuata, & terminata vna propria substantia, saltem sub conditione appetit aliam propriam, alias habitudo naturæ ad propriam quamlibet substantiam, seu vt proprius loquar connectio ad illam non esset essentialis & congenita illi, siquidem ab illa separari posset: ergo.

31 Tercio sicut substantia propria est adequatus terminus naturæ, ita vna præsentia localis circumscriptiua est adequata præsentia corporis, quia sicut hæc per resultantiam naturalem terminat naturam, ita & essentia necessario consequitur Corpus omne, sed Corpori Christi sub vna præsentia locali conceditur diuinitas alia illi non propria Sacramentalis scilicet: ergo & naturæ terminatæ per propriam substantiam conferri potest alia substantia aliena, ac per consequens substantia propria non erit terminus absolute, ac simpliciter adequatus, sed solum naturaliter, vel secundum leges naturæ, quæ sine dubio subduntur dominio, ac dispensationi diuina.

32 Vltimo respondent aduersarij dicentes naturam terminatam per proprium suppositum esse in se, quia est quasi sibi innitens; at vero terminatam per alienam esse in alio; quia ab illo sustentatur, & est illi extraneus, ex quo oritur substantiam propriam constituere naturam per se, & independentem ab alio supposito, alienam vero constituere eandem naturam in alio, seu in alieno supposito, & dependentem ab illo implicareque contradictionem vt eadem natura simul sit per se, & in alio dependens, & independentens.

33 Sed contra primam partem obiectionis sic infurgo, quia natura non innititur, & sustentatur si proprie loquendum sit à propria substantia, sed potius substantia sustentatur à natura illique innititur; & ratio euidens est, quia natura non educitur à substantia, sed potius substantia à natura, tanquam modus ipsius: ergo substantia dependet à natura à priori simpliciter, & absolute, in fieri esse, & conseruari intrinsece: ergo substantia sustentatur à natura potius quam natura ab illa. Deinde, quamvis natura inniteretur proprio supposito, ab illoque sustentaretur, inde non sequeretur illam in se esse, tum quia suppositum non est ipsum esse naturæ, sed ex natura rei ab illa distinguitur: ergo natura in illo innitens non in se, sed in alio à se niteretur.

34 Tum etiam, quia naturam innitit proprio supposito non est recipi in illo, sed solum terminari ab illo, sed natura terminata per suppositum alienum non recipitur in illo, vt patet in Verbo, sed solum terminatur: ergo non magis innitetur proprio supposito natura, quam alieno.

35 Contra secundam partem obiectionis, ita argumentor, quia natura terminata per alienum suppositum, non pendet proprie & à priori ab illo, cum munus tam aliena, quam proprie substantiæ, imo & exercitium illius supponat naturam.

I. P. Tom. II.

ram iam existentem, est enim substantia propria actus naturæ; sed omnis actus non pendens à ratione, sed in re talis supponit potentiam, cuius est actus: ergo substantia, siue propria, siue aliena supponit naturam: ergo hæc ab illa pendere non potest proprie, & à priori, atque adeo non erit minus independens à priori in supposito alieno, quam in proprio.

Secundo contra, quia vel habet aliquam dependentiam natura à substantia connaturali, an non; si habet: ergo non tam innititur sibi quam supposito, à quo pendet; vnde non erit independens per se, sed per suppositum, imo per se erit dependens à supposito, sicut ergo ex se subsistit, licet vere à supposito pendeat; & illi innitatur, cur non subsistat per se in Verbo licet ab illo pendeat, & illi innitatur, aut quid obest perfecti pendere ab alieno magis quam à proprio supposito, & sicut suppositum proprium naturam reddit substantiam, quia vnitur illi vt personalitas, cur id non efficit Verbum cum illi vnatur in ratione formali personæ, si autem humanitas non pendet à supposito connaturali; cur à Verbo pendeat; atque ita quicquid natura à naturali supposito habebit à Verbo; ergo Verbum & suppositum creatum non habent modos oppositos, quis enim dicit opponi in eadem domo corruenti duplex fulcimentum, seu firmamentum, vnum perfectius altero intra rationem fulcimenti; non enim vlllo modo opponerentur, v.g. fulcimentum ex lateribus compactum, minime opponeretur fulcimento ex marmore coagmentato; sed potius perfecte, & perfectius firmiter, & firmitus domum ruentem fulcirent, ac labantem sustentarent, vel quis dicit opponi, in corpore beatifico illuminari simul diuinitus luce naturali corporea solis, & luce supernaturali corporea etiam, vt in mea sententia est lux corporum Beatificorum, non enim opponerentur certe, sed perfecte, & perfectius tales luces.

Secunda conclusio: natura terminata propria substantia non potest terminari aliena creata, humana vel Angelica Hæc est communis sententia, & supposito quod substantia creata sit modus, est sine dubio euidens hæc sententia, quia modus rei adhuc per potentiam Dei absolutam non potest separari à re cuius est modus, vt late probatum manet quasi vltima præmissa, conclusi. 2. sed si substantia Angeli, v.g. terminaret naturam humanam, esset modus illius, quia substantia illius naturæ est modus quam terminat, afficit & cui tribuit suum effectum formalem & adheret; atqui tunc diuinitus adhereret humanitati: ergo esset modus, sed paterat item non terminare naturam humanam, imo hoc naturaliter si Deus suspenderet miraculum terminationis: ergo separaretur iam ab humanitate, vt nunc manet separata in Angelo: ergo iam modus rei posset separari à re cuius est modus, vnde esset, & non esset modus rei.

Secundo quia tota essentia modi consistit in vltima actualitate sine aliqua potentialitate respectu sui effectus primarij, sed substantia Angeli nunc non tribuit suum effectum formalem humanitati, quod potest diuinitus per vos: ergo iam haberet potentialitatem ad illum, vnde esset modus, & non modus quod implicat contradictionem.

Tercio sic probatur, quia modus per suam essentiam est actualis affectio illius quod afficit, & ideo nec per potentiam Dei absolutam potest conseruari sine eo quod actu afficit id quod ex

se debet afficere: ergo si potest afficere humanitatem subsistentia Angeli per suam esse, & essentiam actu afficiet illam: ergo nunquam potest non afficere illam, quia nunquam potest non habere suam essentiam; atqui si posset non afficere humanitatem quam in eo casu afficeret, posset non esse actualis afficiencia humanitatis; atqui esse actualis afficiencia humanitatis est essentia illius subsistentiæ, cum ex sua essentia sit actualis afficiencia eius quod afficit, in quo consistit ratio modi, & per quam distinguitur modus à re: ergo posset non habere suam essentiam talis subsistentiæ; unde talis essentia esset essentia, & non esset essentia; quia iam supponimus; non essentia, quia posset separari à re cuius essentia est, quod autem posset talis subsistentia Angeli non terminare humanitatem quā in eo casu terminaret; patet euidenter, quia terminaret per vos per potentiam Dei absolutam, & miraculoso modo: ergo naturaliter posset non terminare illam cum miraculum sit supra id quod naturaliter petitur. Deinde quia sicut modus duorum ut vnio non potest esse vnus, ita modus vnus, ut est subsistentia, non potest esse duorum.

40 Tertia conclusio: natura terminata per vnā alienam subsistentiam potest terminari per aliam & aliam simul increatam, verbi gratia, humanitas Christi terminata per supposititatem Verbi potest suppositari simul per supposititatem Patris, & Spiritus Sancti: hæc est communis Theologorum sententia, eam tenet Angelicus Doctor expresse 3. part. quest. 3. artic. 6. in corpore, eam explicat, probatque optime Pater Suarez, in commentario huius articuli.

41 Probatur primo ratione D. Thom. in corpore, quia ex parte personarum diuinarum non est repugnantia, cum ab eiusdem naturæ consortio non se excludant necessario, nec etiam datur formalis repugnantia ex parte naturæ assumendæ, cum hæc assumptio non fiat iuxta conditionem, seu capacitatem naturalem illius, sed potius iuxta omnipotentiam facientis, & iuxta capacitatem obedientialem naturæ, quæ ad illa omnia potest obedire Creatori, ad quæ potest se extendere omnipotentia Dei: ergo nullo modo repugnat, ut natura terminata per vnā subsistentiam increatam terminetur simul per alias increatas.

42 Dices esse repugnantiam ex parte naturæ creatæ, quia finita est, (naturam autem diuinam propter infinitatem esse capacem, trium subsistentiarum), ac proinde non habere potentiam obedientialem naturam creatam.

43 Sed contra, quia diuina essentia ex se, & ex natura sua tria supposita postulat, hocque illi ex infinitate conuenit, similiter quod ita sit in illis, ut cum singulis eorum omnino idem sit cum perfectissima vnitate, & simplicitate, & ideo neutrum horum potest conuenire naturæ creatæ naturaliter, & ut conuenit diuinæ; nam si tres personæ assumerent eandem naturam creatam, neque illa natura esse posset idem adhuc diuinitus cum personis assumptibus, neque ille modus subsistendi esset illi connaturalis, sed per gratiam & omnipotentiam assumptis communicatus ipsa natura non repugnante, quia cum illa sit in potentia obedientiali, ad quamcumque personalitatem, & personæ diuinæ non habeant repugnantiam formalem, ut simul terminent eandem naturam, inde est, quod illæ supposititates, quæ successiue possunt conuenire illi simul, conueniant ut materia prima potest habere plures formas simul.

44 Secundo sic argumentor, quia si quid huic ob-

staret, maxime incommunicabilitas quam subsistentia confert naturæ, quam terminat, sed incommunicabilitas non obstat, primo quia incommunicabilitas hæc non consequitur alienam subsistentiam, sed terminantem propriam naturam; consequitur enim illam, quæ determinatio quædam naturalis seu connaturalis est, non quæ obedientialis, quia sicut virtus Dei cui subditur est illimitata, ita & ipsa quæ obedientialis quædam determinatio est, sed subsistentia aliena determinans naturam creatam determinat illam propter potentiam obedientialem, non propter connaturalem: ergo.

Secundo gratis incommunicabilitatem illam consequi etiam subsistentiā alienam, adhuc incommunicabilitas hæc non potest impedire ne virtute Dei natura terminata per illam subsistentiam sit iterum assumptibilis, & terminabilis per alias alias, quia incommunicabilis naturæ terminatæ est incommunicabilitas plurium terminorum simul in vna & eadem natura, sicut incommunicabilitas materię informate per vnā formam, est incommunicabilitas simul plurium formarum in vna, & eadem materia: sed consequente materiem ex informatione vnus formæ incommunicabilitate ad alteram potest Deus efficere, ut supra probatum manet, ut altera forma eandem materiem simul informet, rationeque suæ informationis destruat talem negationem consortij, ac incommunicabilitatem: ergo similiter potest Deus facere ut natura terminata cum vna subsistentia simul terminetur per aliam, destruendo negationem consortij, ac incommunicabilitatem naturaliter sequentem.

Dices sequi ex determinatione naturæ per duplicem subsistentiam alienam, duo contradictoria simul vera, scilicet actualement, & non actualement terminationem alterius alienæ subsistentiæ, actualement ex mea positione, non actualement, quia incommunicabilitas illa consequitur necessario naturam terminatam, sed ipsa est actualis negatio naturæ alterius subsistentiæ præter illam, cum quæ actu natura coniuncta est: ergo.

Sed contra, & respondeo negando illas contradictorias, quia incommunicabilitas illa licet naturaliter sequatur, potest per potentiam Dei absolutam non sequi, quia prima, & absoluta causa non subditur legibus naturæ, & aduertere hanc obiectionem eodem modo, & sub iisdem terminis opponi posse aduersus duarum formarum substantialem in eadem materia coexistentiam.

Dices subsistentiam esse vltimum terminum naturæ, non vero formam substantialem.

Sed contra, quia quamuis subsistentia sit vltimus terminus, inde solum fit ipsam non posse terminari ulterius, non tamen naturam terminatam specificatiue, cum adhuc in illa maneat obedientialis indifferentia; exemplo manifestissimo hoc conuincitur, quia corpus præsens reduplicatiue ut præsens, vel præsentia ipsius in qua sit reduplicatio respectu huius loci, non potest affici alia præsentia indiuisibili, ut sit in alio loco, v.g. præsentia Corporis Christi circumscriptione existentis in cælo, nec ipse Christus, prout sic reduplicatiue præsens potest affici potentia indiuisibili ad existendum in hostia, nihilominus ipse Christus specificatiue, qui in cælo præsens est per illam præsentiam afficitur præsentia indiuisibili, ut sit præsens in hostia: ergo similiter licet natura reduplicatiue terminata, vel terminus ipsius non possit ulterius terminari, bene tamen poterit ipsa natura specificatiue idem quæ terminatur tali termino terminari altero.

- 49 In quo casu licet plures personae diuinae assumerent eandem numero humanitatem, esset tamen vnus simpliciter homo, & plures personae seu supposita, vt patet ex multiplicatione nominis substantiui adiuncto nomine numerali, de qua egimus latissime in *perhiermenis*, data opera, sic D. Thom. & pene omnes Theologi, & ratio est, quia terminus substantius essentialis, vt homo, verbi gratia, formaliter significat formam totius, seu naturam vt in habente illam, & ideo, vt simpliciter dicatur vnus homo, sufficit vnitas naturae.
- 50 Declaratur, nam Christus absolute est vnus homo eiusdem speciei cum aliis hominibus propter vnitatem specificam naturae, quamuis suppositalitas Christi Domini pluraquam genere distinguatur à personalitatibus ceterorum hominum: ergo pari ratione tres personae erunt vnus homo numero propter vnitatem numericam naturae, etiamsi personalitates distinctae sint, vt propter vnitatem numericam naturae diuinae est vnus numero Deus, licet tres sint personalitates distinctae.
- 51 Vltima conclusio: bene potest diuinitus eadem numero natura terminari pluribus subsistentiis propriis: hæc est communis sententia, expressaque defenditur à Patre Suarez, & quia nullus est difficultatis operepretium duxi illam leui, vt ita dicam, Minerva ostendere.
- 52 Primo, quia eadem entitas bene potest pluribus modis eiusdem speciei simul diuinitus affici, vt ex supra dictis patet, & sic bene potest idem effectus pluribus actionibus simul produci, & eadem materia prima pluribus vnionibus ad plures formas vniri, & idem corpus pluribus praesentibus affici, sed plures subsistentiae proprii sunt plures modi eiusdem speciei: ergo bene potest eadem natura diuinitus simul pluribus subsistentiis terminari.
- 53 Secundo, quia nulla datur implicatio contradictionis, quia suppositalitas, & vnio, vel quasi vnio illius continentur in virtute naturae, quod vero simul esse non possint, prouenit ex eo quod natura repugnat superfluum, & non propter aliquam oppositionem illarum personalitatum, Deus autem potest dispensare in hac lege ordinaria, sicut dispensaret quando poneret duo numero accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto, duplicem formam substantialem in eadem materia prima, dicas contrarias qualitates simul in eodem subiecto, duas quantitates in eodem spatio, & in eodem corpore duas praesentias, quando vnus & idem Corpus est in loco, vt est de fide in Corpore Christi in caelo existentis, & motus sursum, & deorsum simul in eodem mobili: ergo potest hoc quod est minus Deus facere per potentiam suam absolutam terminare, videlicet simul eandem naturam duplici subsistentia propria, in quo nulla oppositio, nulla repugnantia, nulla incompatibilitas datur. Dices cum Patre Vasquez, *disputat. 25*, naturam creatam non habere vim ex se, vt terminetur duplici subsistentia propria, alioquin applicato agente naturali, eam posset ipsum agens terminare duplici subsistentia: ergo nec de potentia absoluta habet eam vim.
- 54 Sed contra & nego consequentiam cum Patre Hurtado, quia potest per potentiam obedientialem passiuam: formoque argumentum idem contra eandem humanitatem non habere vim naturalem ad substantiandam vnionem hypostaticam, nec Christi Corpus ad vocationem Eucharistiae, & simul in caelo, dicit hoc esse per potentiam

I. P. Tom. II,

passiuam; bene ergo & poterit natura terminari à duplici subsistentia propria, & sicut humanitas, quae est prima causa receptiua vnionis hypostaticae, potest eleuari ad supernaturalem vnionem, cur & prima causa materialis non poterit eleuari ad recipiendam duplicem subsistentiam, & cur primae causae formales, scilicet duae subsistentiae non poterunt, cum tantum tribuant suum formalem effectum, vnendo se eidem naturae, quem effectum recipit materia patiendo vnionem causa prima actiua, quia est Deus, non potest eleuari, quia nullius subieitur imperio, secus creatae causae primae in suo genere, quia licet primae sint, sunt primae creatae, ac per consequens dependentes, & sub dominio increatae causae, quae sicut potest annihilare illas, & sicut potuit producere ex nihilo, sic potest mille modis disponere de illis propter plenam, ac supremum dominium, quod habet supra illas, vt infinitis modis ad nutum suae voluntatis, & quomodo voluerit de ipsis disponat, inter omnes autem modos dispositionis diuinae, est eleuatio creaturae ad superiorem statum: ergo bene potest causa prima creata materialis aut formalis eleuari ad id quod natura non potest iussu omnipotentiae diuinae.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

AD primum primae sententiae respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam; ad probationem illius nego in vniuersum à duplici causa totali non posse eundem numero effectum prouenire, vt patet ex dictis in *Physicis*, vbi docuimus à duabus causis adequatis efficientibus diuinitus posse eundem numero effectum prouenire. Praeterea in causis formalibus accidentalibus falsum est dicere non posse eundem numero effectum à duplici causa prouenire, quia plures scientiae totales sunt causae formales constitutivae sapientis, & nihilominus idem numero homo sapiens pluribus scientiis constituitur in esse vnus numero sapientis, & ideo idem numero Christus est vnus numero filius, & nihilominus afficitur pluribus filiationibus, seu, vt melius loquar, constituitur illis, scilicet filiatione increata Verbi, filiatione etiam substantiali vnionis hypostaticae respectu totius Trinitatis, & filiatione accidentali respectu B. Virginis, & licet hoc verum sit, concedo tamen in causis formalibus substantialibus intrinsecis, ob peculiaritatem illarum rationem, tum quia non causant, nisi seipsas exhibendo intrinsece: vnde effectus illarum non est alius ab illis exhibitis, cum subiecto vnito illis, quare cum plurium causarum formalium entitates diuersae sint, diuersos etiam secundum rem effectus formales praestare debent. Tum etiam quia cum causa formalis substantialis, sit praecipua ratio constitutiva effectus, ab illa debet sumi vnitas, vel multiplicitas effectus, ita vt si vna sit causa formalis; sit vnus, & idem effectus formalis, si autem multiplex sit causa formalis, multiplex debet esse etiam effectus formalis ab illis formis constitutus; vnde in eo casu in quo eadem natura terminaretur à duplici subsistentia, seu personalitate, cum effectus formalis illarum personalitatum non sit natura, sed persona resultant ex natura terminata per personalitatem & ex personalitate terminante naturam & tunc re-

sultaret duplex persona, non esset idem effectus formalis, sed duplex à duplici causa formali.

56 Ad secundum patet; ex dictis conclusio prima ratione quarta principali & sequentibus.

57 Ad primum secundæ sententiæ respondeo primo negando suppositum, quia supponit aduersarius in illo argumento naturam vnitam Verbo ab illo necessario pendere, quod non est necessarium, quia humanitas proprio supposito affecta habet omnia, à quibus pendet à priori, & à posteriori: ergo sic affecta licet vniatur Verbo ab illo, non penderet: ergo talis vniō non repugnat cum supposito naturali, & cum subsistentia propria, sicut vniō animæ rationalis ad corpus non pugnat cum subsistentia ipsius animæ rationalis, quam conseruat adhuc vt vnita corpori, ex quo colligitur non habere cum supposito proprio eandem proportionem quam habet curvitas cum rectitudine, generatio cum creatione.

58 Dices naturam pendere à supposito. Distinguo, à supposito connaturali transeat, ab alieno cum habet simul naturale nego, quæ enim repugnantia ostenditur ex eo quod possit vniiri humanitas Verbo sine dependentia ab illo, cum non sit de conceptu vniōis dependentia, vt patet in animo rationali vniō corpori. Dices, quia humanitas esset in Verbo, at recte potest res esse in alio, quin ab eo penderet vt animus in corpore.

59 Deinde secundo respondeo non eodem modo opponi subsistentiam diuinam cum propria, sicut curvitas cum rectitudine, quia subsistentia propria continetur eminenter in diuina, & curvitas non continetur eminenter in rectitudine, neque contra. Deinde curvitas non potest supplere vicem rectitudinis, cum tamen diuina subsistentia possit supplere munus subsistentiæ creatæ; item quia curvitas in sententia probabilissima est priuatio rectitudinis, & non est forma nec figura positiua, suppositiuitas autem diuina & creata sunt ambæ rationes positiuæ, si autem concedamus curuitatem, & rectitudinem esse modos positiuos, licet aliquomodo inter se opponantur, non implicabit eandem virgam esse rectam, & curuam simul, sicut non implicat in eodem Corpore Christi esse simul duplicem præsentiam, aliam diuisibilem & circumscriptionem, alteram diuisibilem, & definitiuam: ergo eodem modo possunt esse curvitas, & rectitudo in eodem subiecto, & figura recta, & circularis. Verum est tales figuras in eodem loco non posse esse simul afficiendo idem subiectum: & ratio est, quia figura circularis est modus resultans ex positione partium in loco circulari, & figura recta in loco recto, vel superno, cū autem modus rei non possit separari à re, cuius est modus, inde est quod figura circularis non resultet in loco recto, seu versus supernum, & etiam figura recta non possit resultare in loco circulari, vnde necessario petunt distincta loca, propter essentialē rationem modorum consistentem in inseparabilitate à re cuius est modus: hanc doctrinam tradidit P. Hurtado in *Physicis, disputat. 6. de loco, sect. 5.* vbi sic ait. [Aduertendum vbiocationem materialem per quam tota quantitas ponitur penetrata in eodem loco, neque habere figuram neque situm, quia consistunt in distantia, & proportionem, quam partes seruant inter se in ordine ad locum, vt patet in figura recta, & circulari: ponamus ergo vnā distare ab alia versus locum supernum, & aliam versus dextrum, ecce in primo casu figuram rectam, in secundo vero initium figuræ circularis; eo enim quod hæc vbiatio detur mobili per

quam distet tantum ab vbiocatione alterius partis versus hanc positionem facit circulum, aut lineam rectam, vt patet in domo; eo enim quod lapis supra lapidem ponatur sit paries, quod ex sola sumitur vbiacione.

Dices mutari vbiacionem non mutata figura: vt quando homo fertur sella gestatoria; sed id impossibile est in omni sententia, quia saltem figura spatio vbiacionis, quia situs est partium dispositio resultans ex vbiacione quæ est fundamentum distantie partium: deinde semper mutatur figura, quia est talis dispositio corporis in ordine ad locum, & licet non mutetur distantia partium inter se, mutatur tamen totus ille modus qui essentialiter priori respondebat spatio, & datur alia vbiatio quæ partes seruata eadem distantia inter se respondeant spatio diuerso, vt si Deus homini sedenti auferat sessionem, & pro illa subroget aliam nouam, vel sedens annihilatur & reproducatur, iterum sedens hic modus figuræ mutaretur, vulgo tamen dicitur eandem retinere figuram, quia partes quæ distant inter se, & vt melius explicaret Arist. hanc vulgarem conceptionem adhibuit prædicamentum *de fin.* sic ille. Propter hanc autem rationem figura circularis non potest esse simul cum figura recta in eodem loco, quia figura circularis essentialiter est modus rei non absolute, & secundum se, sed in ordine ad locum circulearem sphericum, seu rotundum distinctum tamen à loco recto, ratione cuius essentialiter figura circularis non potest esse in loco recto, nec figura recta in loco circulari, alias ordo transcendentialis, & essentialis vtriusque figuræ mutaretur manentibus eisdem figuris, quod est impossibile; subsistentia autem eum respiciant res substantiales secundum se, & non in ordine ad locum, possunt simul esse in eodem subiecto, cum inter se nullam dicant oppositionem, etiam si illud subiectum sit in vno loco solum.

Ad secundum respondeo cum P. Mendosa, quod ipse P. Suarez viderit huius argumenti imbecillitatem, quid enim ad definitionem Ecclesiæ diffusio de potentia Dei absoluta conducere potest vtilitatis; Christus enim in Scriptura vocatur absolute filius Dei, idemque vocatur filius hominis sine discrimine, & distinctione inter filium Dei, & filium hominis, & tantum exponitur distinctio inter naturas humanam, & diuinam & operationes vtriusque naturæ sine discrimine tribuuntur vni Christo Deo, & homini, ita vt homo dicatur creare mundum, & Deus mori, quia sine discrimine nullo modo dici posset, si personæ essent duæ; essent autem duæ si cum Verbo diuino retineretur suppositum humanum quod an sit idem si natura humana haberet duo supposita creata infra diceretur, & supra dictum est, quod euidenter sic patet; nam in diuinis, licet detur vna natura, quia non dantur duæ personalitates tres personæ, & quia tres personæ distinctæ productiones vnius, non attribuantur alteri, v.g. generatio non tribuitur Filio, id est Filius non generat ex eo quod Pater generet, nec Spiritus Sanctus spirat quia Pater & Filius spirant; vnde in productionibus propriis vniuersusque personæ, quia distinguitur à cæteris realiter, non datur communicatio idiomatum inter omnes, licet alie sint actiones communes, scilicet à dextra, quæ de omnibus personis prædicantur, v.g. creatio, glorificatio, sanctificatio, &c. ergo similiter si daretur distinctio personarum in natura humana, actio

Quaest. V. Vtrum supposit. compositi, &c. 85

actio propria vnus personae in illa natura non attribueretur alteri, sed quaecumque propria actio Dei communicatur homini, & praedicatur de illo, & sic dicitur hic homo creat, hic homo glorificat, hic homo est Filius aeterni Patris, hic homo est infinitus & caetera praedicationes, quae licet non sint actiones, sunt tamen propriae Dei: item actiones propriae hominis attribuntur Deo, seu vt melius loquar, omnes praedicationes propriae hominis, vt pati, vapulare, mori, ambulare, sudorem emittere, loqui, & exclamare, seu genere: ergo signum euident est in Christo Domino, non dari distinctionem personarum, ac per consequens nec personalitatem.

Item quia licet illud mysterium sit supernaturale, tamen reuocatio proptij suppositi esset nouum miraculum, & extraordinarium mysterio Incarnationis, quod non esse factum recte colligitur PP. dum nec scriptura illius meminit, nec necessitas cogit, imo quod magnam confusionem afferret mysteriis, ob quae Deus naturam assumpsit humanam, itaque ex definitione Ecclesiae, Christum esse; nam personam euidenter infertur non retineri in humanitate propriam substantiam; Ecclesia autem fuit mora ad eam definitionem ex modo quo homo dicitur Deus, & Deus homo, & operationes Dei tribuntur homini, sine villo discrimine. Ad vltimum constat ex dictis.

QVÆSTIO V.

Vtrum supposititas entis composita sit simplex vel composita.

SECTIO I.

Sententia aduersariorum proponuntur.

- 1 **P** RIMA sententia asserit naturam depositam solum habere substantiam simplicem ex parte materiae, ita vt totum compositum in completa substantia subsistat, ita P. Rub. in *Physicis*, q. 4. *art. 1. de substantia*. Vbi tenaciter id affirmat, quia forma corporeae nullam habent substantiam partialem.
- 2 Probatur primo hae sententia, quia per se subsistere dicitur existere sine dependentia à subiecto mediante inhaerentia; sed forma materialis dependet inhaerendo à materia: ergo non habet substantiam per se, & tamen totum compositum subsistit: ergo subsistit tantum substantia partiali materiae.
- 3 Secundo, modus operandi sequitur modum essendi, sed forma materialis non operatur per se, sed dependenter à materia: ergo nec habet modum essendi per se.
- 4 Secunda sententia est P. Valsq. *tom. 1. in 3. part. disp. 125. cap. 4.* asserentis partes substantiales totius physici, subsistere per vnicam indiuisibilem substantiam, quae non sit propria earum, sed totius, ita neque materiae vt est in composito, nec formae rationali correspondeat partialis substantia; hanc sententiam his verbis probat.
- 5 Primo quidem nihil est in toto composito, cui nomen substantiae partialis conuenire possit: ergo antecedens patet, si enim antiquam significationem vocis substantiae retineamus, quae est etiam graecum nomen hypostasis, suppositum ip-

suum concrete denotabat, vt nihil est in composito, quod graece dici possit hypostasis partialis neque latine dici potest duo supposita, vt personae partiales, quod hactenus nemo pronunciarere ausus est: ergo recte nullus dicere potest esse duas substantias partiales.

Secundo, ex definitione substantiae, quia persona est natura rationalis incommunicabilis substantia aut existentia, vt ex mente Richardi Victorini & Seuerini Boëtij patet. Tunc sic, si capiatur pro hypostasi, aut supposito, quia de ratione illius est esse substantia incommunicabilis; ita vt terminata sit modo aliquo, quo reddatur incommunicabilis, quaevis autem pars hominis est communicabilis, quinimo actu communicatur: ergo nulla illarum, vt est in toto, est substantia partialis; si autem sumatur pro complemento naturae, debet subiectum in quo esse incommunicabile, sed materia communicatur formae, & forma materiae: ergo nulla illarum, vt est in composito habet substantiam partialem.

SECTIO II.

Nostri sententia explicatur, & probatur.

PRIMA conclusio: natura non solum subsistit substantia inadquata & incompleta materiae; sed etiam substantia totali, completa, & adaequata toti composito: hae sententia est communis sensus Theologorum & Philosophorum, & probatur sic.

Primo, quia totum compositum est substantia completa, distincta realiter distinctione includentis ab inclusio à materia prima: ergo in toto composito, non solum datur substantia materiae, sed etiam substantia totalis, & adaequata immediate debita toti distincta, tanquam includens ab inclusio, à substantia materiae; antecedens patet ex ipsis terminis: consequentia sic probatur, quia substantia est complementum proprium adaequatum, & proportionatum substantiae, tanquam exercitium, & terminus adaequate terminans, & exercens potentialitatem substantiae: sed substantia materiae non est adaequatum & proprium complementum exercitij, ac terminus adaequatus immediate totius compositi: ergo non solum datur substantia materiae, sed alia completa distincta ab illa, & propria totius compositi; haec minor sic probatur, quoad primam partem, illud quod competit alteri distincto ab aliquo non potest esse proprium illius; sed substantia materiae competit ipsi quae realiter distinguitur à composito: ergo non est propria totius compositi, quia quod est commune duobus non est proprium vnus ex illis, quod non sit adaequatum composito, sic patet, quia illud quod est adaequatum, & aequale alicui parti, non potest esse adaequatum, & aequale toti, quae cum totum sit maius sua parte, si esset aequale toti, & parti, idem adaequaretur, & esset aequale simul respectu maioris, & minoris: sed substantia materiae adaequatur cum materia, & est aequalis illi, quae est pars totius: ergo eadem substantia materiae non potest adaequari cum toto, nec esse aequalis illi; haec minor sic probatur, quia substantia tribuitur materiae à natura in quantum substantia est, & primum subiectum formarum substantialium, sed materia prima adaequate, & totaliter est substantia, & primum subiectum.